

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Fridericus Klinckovius

Friderici Klinckovi[i] Stralsund. De Historia Oratio

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153010>

Druck Freier  Zugang



Ruphill 1653
Friedrich Klinckow



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730153010/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153010/phys_0002)

DFG

F R I D E R I C I K L I N C K O V I
Stralsund.

B

D E

HISTORIA ORATIO

*Publicè recitata in Academia
Rostochiensi.*



R O S T O C H I I ,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO c i o l o c LIII.

І. Б. К. Г. П. Р. С. А. В. О. Д. С. І. А. Й. О. Г. Т. І. І. І. А. Й. О.

Англ. 62.

І. Б. К. Г. П. Р. С. А. В. О. Д. С. І. А. Й. О. Г. Т. І. І. А. Й. О.



De Historia ORATIO.

Rerum humana-
rum fastigia fragili-
posita sunt loco, nisi
præclara à mortalita-
te ea vindicet memo-
ria: Parum enim
est in vita, nisi egre-
gia rerum præstantis-
si marum memoria nunquam interitu-
ram posteris relinquat nostri famam; Ipsa
vero vita nostra brevissima est, & eminen-
tia cuiusq; operis arctissimis temporum cir-
cumdata sunt spatiis; Fugit ætas, & ocyus à vi-
ta deseritur corpus, nec quisquam adeo mor-
talium est, cui securam relinquat vel mini-
mam horæ partem inevitabilis fati necessi-
tas: Eo magis enitendum, ut, qui sub mori-
endinati sumus conditione, cælestia facta

A 2

no-

DE HISTORIA

nostra memoriam jubeant esse æternam.
Evidem quemadmodum Dux & Impera-
tor vitæ mortaliū anima non unā cum cor-
poribus interit, sed postquam soluta est cor-
poris vinculis, redit ad a vitam sedem cælum,
ita ea votorum nostrorum per omnem vi-
tam esse debet summa, uti präclarafacinora
nostra, sicuti anima, gloriâ sint æterna.
Quæcunq; habet hic orbis & universa re-
rum natura, ea tum demum suo functa cre-
duntur munere, si illa p̄secuta fuerint, in quo-
rum gratiam creatasunt; Anima divina, in-
corrupta, immortalis à Summo rerum Con-
ditore nobis indita, ut quemadmodum he-
liotropium ad solis motum, ita secundum
divinos cælestesq; impetus (nam portio
divinæ mentis est, quam fragili hoc corpo-
ris hospitio circumgestamus) omnes actiones
componeremus, & gloriæ æternitatem
in exemplum transmitteremus ad posteros.
Hoc enim est illud animi incrementum,
quod cum corpore quotidie altius promo-
vetur, nec tamen cum corpore senescit,
quod quia æterna modo se statut, & capax
æternitatis est, non potest non esse æternum:
...sumus coniunctione corporis et animi Hæc

100

L A.

ORATIO.

Hæc est interna illa & divina animæ vis, cūjus
omnis efficacia in virtutis actione, dotes in
æternitate sitæ sunt, quam cum in se senti-
rent gentiles, proli Deum, quantis curis,
quantis laboribus ad æternitatem aspirabat!
quanta in ijs virtutum certamina, quanta
divinorum factorum prodigia cernere lice-
bat, quibus supra mortalitatem sese extol-
lere, & memoriā suā si non æternam,
certe quam maxime longam efficere anxie
laborabant! Scilicet innatus est mentibus
nostris amor & desiderium immortalitatis,
in qua assequenda pulcherrima æmulatione
alij alios anteverttere conabantur, dum alij
virtutis laude, alij rerum præclare gestarum
memoria, alij stupendorum operum magni-
fica structura, alij egregijs ingeniorum mo-
numentis æternitatem sibi asserere, Dijsq,
accenserī voluerunt. Ceterū in his omnibus
quanquā neutri suis defraudandi sint laudi-
bus, omninoq; virtus singulorum mereatur
immortalitatem, nescio tamen an omnes ex
æquo istam felicitatem attigissent, nisi divina
ingenia egregijs suis monumētis cœlestia fa-
cta vindicassent ab interitu. Frustra antiqui
A 3 tas mo-

1919b

DE HISTORIA

tas more suo inter Deos retulit, quotquot solerti ingenio excogitarunt, quod publico prodesset: Frustra Ninus in artificiosa & posteritati stupenda curris sua exstructione quæsivit æternitatem: Frustra Semiramis in terrem aliorum & orbis prodigium Babylonem inexpugnabilis sepsit muro: Frustra ob rerum gestarum magnitudinem Cœlestis & Deus credi voluit orbis ille domitor Alexander: Frustra magnitudinis suæ & amoris in patriam vel morte & atrocissimo corporis cruciatu fidem facere voluerunt Regulus, Curtius Scvæola, Mytilenæi, alijq; divini heroes; Jacerent enim ista omnia in tenebris, & profunda sepulta essent oblivione, nisi decora illuxissent ingenia, quæ dignis illustria illorum facta extulissent encomiis. Neq; enim, ista omnia, quibus sui memoriam conservare prolixè studuerunt veteres, quicquam adversus mortalitatem erant valituru. Nihil enim est tempus, quo vixeré, nihili illa moles, quæ vel mare absorbsit, vel oppressit terræ motu, vel flama extinxit, vel belloru delevit vastitas. Erant quidem olim satis præclara, & quæ durare aliquandiu poterant, sed ad æternitatis gloriam nequaquam poterant ascendere:

ORATIO.

dere: Erant enim sed nunc fuerūt, & fuerunt,
ut esset quod doceret mortales, fragilia esse
quæcunq; nostris subjiciuntur oculis. Sola
est rerum gestarum memoria, quam Historiam appellamus, quæ eximiam virtutem
non patitur esse in obscuro: Hæc inter om-
nes sola inventa est, quæ famam nostram ad-
versus mortalitatem tueretur, & cuius bene-
ficio eò procederemus magnitudinis, ubi
pro mortalibus gloriâ fieremus æterni; Hæc
sola est, quæ fastigia mortalium pene ad su-
peros virtutis consortio provehit, & in o-
mnem rerum & temporum æternitatem du-
rare jubet. Hæc divina veterum monu-
menta interire non sinit; hæc facit ut ea quasi
oculis nostris cernamus, & admiremur, quæ
ante nos perierunt, cum iis vivamus, post
quos nati sumus! Quid enim periisse credi-
mus illa orbis miracula, & stupenda veter-
um magnitudinis monumenta? Quid tot
egregia interiisse dolemus ingenia? vivunt
adhuc, & nequicquam periēre; vivit ad-
huc nobis divinus ille Plato, vivit Stagyrita,
vivit Tullius, vivunt prisci illi heroes, vivit
magnus ille gentium domitor Alexander

nec

DE HISTORIA

necei secundi Scipiones Cæsaresq;; Stat,
adhuc alto culmine turris Babylonica, &
ingenium Nini indefessumq; ostentat labo-
rem; stant muri, & in ijs dominatur Semira-
mis; floret adhuc æmula imperij Carthago,
& cum principe gentium populo de terra-
rum principatu contendit. Neminem ve-
strum fallo, Auditores honoratissimi, dum
hæc dico, quin & vestri in me conjecti oculi,
& liberalis ille omnium vultus certam
mihi facit fidem, idem vos mecum sentire, &
vestram esse sententiam, quam ex me audi-
vistis. Et quomodo aliter esse potest? Quid
enim, nonne quotidie erudimur à veteribus?
nonne ad divina illorum monumenta tan-
quam ad oracula configimus, omnisq; sa-
pientiæ prudentiæq; inde haurimus docu-
menta? Quis nostrum dum divinorum he-
roum illustria legit facta, non, prout læratur
bidavé rerum appareat facies, sperat timetq;
& non secus ac si ipse periculi gloriæ esset
particeps, angitur vel gloriatur? Quem non
in admirationem rapit Fabii Scipionumq;
magnitudo, & ingens in omni tempestate
animi fiducia? contra quis non aversatur
pro-

ORATIO.

profligatam Pœnorum fidem, justumq; cap-
pit dolorem ex versutissimi Hannibalim im-
piis fraudibus? Scilicet audimus, qui multis
à nobis absunt seculis, proficimus per eos,
quorum frustra colligeremus cineres; a ma-
mus absq; pretio, irascimur sine injuria, læta-
mur sine lucro, metuimus citrè periculum,
triumphamus sine victoria, contristamur ubi
nulla ad nos clavis pervenit calamitas: Hæc
est incomparanda illa Historiæ vis & effica-
cia, quæ longa serie disjuncta tempora con-
jungit, & cum ijs nos vivere facit, qui in mo-
riendi sortem geniti, dudum ante nos natu-
ræ cesserunt; Hæc est, quæ, quod summum
inter mortales, famam nostram ab invidiæ
nubibus ad æternitatis effert memoriam;
hæc summorum Heroum eximiam virtu-
tem ad seros transmittit nepotes, efficitq; ut
in tantū illa æstimeretur apud posteros, quan-
tum verbis eam potuerunt extollere præcla-
ra ingenia. Felicissimi proinde homines
qui in magna scriptorum inciderunt inge-
nia, quorum egregiis monumentis divinæ
dotes æternitati transcriberentur! Merito
Achilli suo gratulabatur Alexander quod vir-

B

tutis

DE HISTORIA

tutis suæ magnum nactus esset præconem. Veriori longe laude nos gratulamur Alexan- dro, alijsq; incomparandis Romanorum heroibus, in quorum nominis immortalita- tem tot divina conspirarunt ingenia, nec conspirarunt solum, sed etiam effecerunt, ut quoties cælestia illorum legimus facta, obstupeccamus hereamusq;, adeo ut dubium sit, magis ne nos capiat dicendi majestas, an divinitas factorum. Fuit enim hæc admi- randa illorum temporum felicitas, quæ si- cuti operum magnitudine reliquis omni- bus umbram fecerunt, ita nec illustres de- fuerunt animæ, qui scriptorum suorum æternitate perpetuatatem adderent, quibus deberetur immortalitas. Fuerunt hæc ista tempora, quibus alij factorum sublimitate, alij divinis monumentis mansurisq; operi- bus sui memoriam conservare, victuriq; no- minis ad posteros prorogare famam egregio nitebantur certamine: Utriq; eo majori ardore ad propositam contendebant me- tam, postquam neutri dignis defraudaban- tur honoribus, cum & illos digna ipsorum virtute ex eruditorum favore sequeretur gloria,

ORATIO.

gloria , & illi laborum mercedem ex grata
sperarent posteritate. Accedebant ergo, ut
diffusam illam per terrarum orbem summorum
heroum celebritatem invictamq; ad
sydera famam ingenioso calamo ad poste-
rorum signarent memoriam, illustrissimam
quæq; ingenia, omnemq; diligentiam affe-
bant& artem. Neq; enim, ut inusitatæ
virtutis splendor cum pompa atq; dignitate
in oculos humani orbis dispergatur, vilis
præstare poterit scriptor; longe illustrior est
historiæ majestas, & non nisi per sublimia
humanam excedit conditionem: Non valet
adversus mortalitatem , quod humile,
quod vulgare, quod ineruditum aut rude
est; Divina quædam hic requiritur indoles,
& omnium rerum atq; temporum ex-
tissima prudentia instructum ingenium,
quod in utraq; reipubl. facie causas even-
tusq; rerum docta sagacitatem eruat, mores,
indolem hominum studiaq; prudenter
scrutetur, ipsiusq; status viscera inspiciat,
inde digna quæque memoria excerpatur, & lu-
cis ipsius utilitates cum cura & arte pruden-
tissimi cujusque accommodet industriæ.

B 2

Equi-

DE HISTORIA

Equidem ut ad æternitatis gloriam ascen-
dat historia, & gravitate, nitore, atq; suavi-
tate placeat posteris, omni solertia atq; dex-
teritate efficiendum est: Neque vero cruda
studia, aut inepti conatus posteritatis spe-
rare possunt laudem, quæ sicuti omniamore
atq; odio vacua verissime judicat, ita non
nisi excellam virtutem, & res cognitione
admirandas suspicit atq; colit; Sordent hic
viles nugæ, & una cum suis intereunt auto-
ribus: At cœleste quoddam ingenium, quod
indolis divinitatem in actus studiaque
hominum mittit, factorum, consiliorum,
eventuumq; momenta prudenter contem-
platur, & ingeniorum artiumque miracula
cum eximia solertia colligit, illud vero de-
mum veræ & victuræ historiæ assequitur
gloriam, suamque cum aliorum illustri
monumento ad ultimam posteritatem ex-
tendit memoriam: Hinc enim nascitur mas-
cula illa historiæ autoritas, hæc est prudens
illa observatio, quæ cum omnem secretio-
rem complectatur prudentiam, non potest
non placere posteris, imprimis si ad nobile
ingenium & prudentem observationem.

acce-

O R A T I O.

4

accedat omnis industria, indefessaque cura,
ut immortalia facta ingenioso calamo cum
arte æternitati transcribantur. Parum enim
est, illam rerum temporumque vicissitudi-
nem, illam ingeniourum studiorumque
notasse varietatem, nisi tam accinctæ obser-
vationi gratiam addat dicendi majestas.
Quemadmodum enim Orator frustra egre-
giae rerum omnium scientiæ affectat lau-
dem, nisi res pulcherrimas gravitate pane-
gyrica sciat extollere; ita vix quicquam
proficit tam nitida & prudens historici ob-
servatio, nisi dicendi sublimitas factorum
æquata sit magnitudini: Ingens hæc cura,
& maxima difficultas, sed sine qua auctori-
tas historiæ obtineri nequaquam potest:
Anceps & arduum periculum, ubi non mi-
nus peccat, qui excedit, quam qui non im-
plet, qui infra rem, quam qui supra, qui ad-
stricti^o, quamquam effusius dicit: De mascu-
la illa & generosa civilis historiæ eloquen-
tia loquimur, cuius nomen affectant pluri-
mi, pauci assequntur gloriam, dum alii
rerum gestarum divinitatem ne à longinquo
quidem assequntur, qui exuta omni ser-
monis majestate longe minora scribunt,

B 3

quam

DE HISTORIA

quam cælestium factorum meretur æternitas, alij alienissimis nugarum ambagibus & nescio quo tumore ipso dictionis excidunt decore, nec eam, quam capax requireret lector, afferunt jucunditatem: Utriq; sane longissime ab egregii historici absunt celebritate; nam & eminentia quæq; facta non nisi cum pompa & arte celebrari amant, nec ij historici laudem assequuntur, qui artis studiosi nimis dictionem premunt; suffocatur ita potius perfectum eloquentiæ decus, si non spirat libere, & maciem inducunt, qui exclusa omni ubertate ad cælestia facta dicendi non addunt majestatem: Iniq; sane homines, qui dum oratione languida illustria summorum heroum facta transcribunt ad posteros, opprimunt quibus debent æternitatem. Non est hæc vivida illa cordata eloquentiæ indoles, in quam tot præclara ingenia ardorem suum exseuerunt: Longe generosior est mascula illa dicendi ratio, quæ utramque hic implet paginam. Non placet historia, nisi mirâ quadam narrationis suavitate, ubi ita dicuntur omnia, ut sint cum rebus cum personis accom-

ORATIO.

accommmodatissima; Neq; apud teretes au-
res jucundius quicquam, quam si nitida
quadam elegantia splendescat oratio, quæ
dulcissimos illos in nos excitet affectus, quæ
non ingrata quadam satietate afficiat, sed
miro ardore & insatiabili cupiditate teneat
legentem, & non nisi ægre ac invitum dimit-
tat. Hæc est illa interior ac divina quædam
eloquentiæ efficacia de qua loquimur: Hic
spiritus ille indefessus, indomitus, invictus
quem desideramus: hæc est secretior illa vis,
quæ nos totos occupat, & cum simus liberi,
in gratissimam mittit servitutem: Hæc, li-
cet omnes exuamus affectus, & adversus
quævis obfirmemus animum, miras in nos
excitat mutationes, ut modo impensissime
amemus, modo infestissimo prosequamur
odio, jam lætissimæ spei simus pleni, janu-
prolixii timoris, idq; quod maximum, in-
re, quæ vel nihil ad nos: Ita dum legimus,
vidisse nos sæpius arbitramur, quos nun-
quam vidimus, audivisse qui procul à no-
bis absunt, ijs interfuisse rebus, quæ mul-
tis ante nos gesta sunt seculis. Adeo con-
jungit Historia tam tempora, quam ani-
mos,

DE HISTORIA

mos & disjunctissimas terras, quæ qui levia existimat, admodū profecto fallitur. Quantii enim facienda ista cura, quæ temporibus involutam, locis disjunctam, & personis variantem rerum magnitudinem accurato ordine, faciliter tenore, nitida suavitate, singulari arte componit atq; connectit. Quæ illa ingeniorum miracula, illam actuum eveniūtumque diversitatem affinitatemque, illa attinentia cohærentiaque membra, observata temporum serie cum arte quadam in unum cogit, ne vel connectantur, quæ causis atque principijs in diversa tendunt, vel separantur, quæ argumentorum negotiorumque copulat cognatio. Quid vero divinus, & proinde magis difficile, quam illam locorum formam imaginemque adeo efficaciter exprimere, ut quasi oculis nostris subjicantur? ita enim fit, ut dum ad illustria scriptorum monumenta nostra convertimus studia, res diversissimas simul possimus præstare, & præsentia legere, & simul diuisas perlustrare terras, maria transcendere, & in diversas abire plagas, neque tamen locū movere. Est hæc cælestis illa animorum pere-

peregrinatio, ubi centum milliariorum.
 iter citius confeceris, quam alias unius
 stadij intervallum. Ab egregij conditoris in-
 signi cura & arte ista proficiscuntur, quæ quo
 est vehementior, eo divinior cælestiorq;
 evadit historia. Quid enim dicam de sin-
 gulari illa in signandis hominum naturis
 diligentia, quæ non modo actiones inspicit,
 sed & præcipua & recondita illorum prin-
 cipia, & indolem variam ingeniorumq; stu-
 dia propensionesq; scrutatur, & memora-
 bili interpretatur charactere. Hinc velut ex
 dulcissimo fonte limpidissima aqua fluunt
 profundæ illæ gravesq; sententiæ & inter-
 posita de rebus gestis judicia, hinc arcana
 illa sapientia, hinc amænissimærum differ-
 entiationum suavissima facundia, hinc recon-
 dita omnis actus in republica civilis pru-
 dentia, hinc panegyrico impetu effusa di-
 cta, quæ aculeum & vires suas in animo ca-
 pacis lectoris relinquunt. Rhetorum hic
 campus est, certare sententijs, inventioni-
 bus & ornatu; Verum parum recte sentire
 mihi videntur, qui omnem orationem gra-
 vitatem ab historiæ laudibus eximunt; ha-
 bet enim, nisi fallor, & hic locum sublime

C

ali-

DE HISTORIA

aliquid elegantiae commentum, & assur-
gens dictio, quæ etsi non ubi vis spirat pane-
gyricam majestatem, proxime tamen acce-
dit, & sua quadam indole placeat, quæ nun-
quam magis sese exserit, quam cum inusitata
virtus, & magna exempla ad celebriorem
famam prodenda sunt; tum enim sese effun-
dit mascula illa vis, & ad factorum divini-
tatem parem dicendi affert amplitudinem.
Fere enim historiæ laudem absolvit, quis-
quis præclara facta verborum æquaverit
magnitudine. Ceterum sicuti injurius est in
posteros, qui magnam virtutem interire pa-
titur, ita fœdum subit crimen adulacionis,
qui majora scribit rebus gestis: Etenim cum
plurimæ atq; illustres historiæ sint laudes,
maxime tamen omnium hic dominatur
fides, & longe lateque in suo quasi regno ex-
serit imperium; Maxima hic prudentia est
gloria, maxima eloquentia, sed quæ facile
obscuratur, nisi veritatis accedat decus. Eo
magis hic enitendum, quanto est difficilius
sanctam ubivis servare fidem, quippe quæ
tanti est facienda, quanti est, se ipsum ex-
pugnare, & ab omni amore atq; odio, ab ira
atq;

ORATIO.

atq; metu incontraminatum custodire animum. Acris hæc pugna, & in qua non nisi fortissimus quisq; & invictus triumphavit animus! Quanta enim est illa virtus, ita semper obsfirmatum gerere animum, ut nunquam locum inveniant, quæ vel suspendunt judicia nostra, vel subvertunt? Consummata hæc, est & quæ maxima quoq; defecit ingenia: Ad nostra enim tempora quoties nos convertimus, etiam si omnes ingenij prudentiæq; adhibeamus vires, vix tamen per humanam imbecillitatem ita omnes exuere licet affectus, ut nullis studijs sint obnoxij. Ad hæc si vel maxime divina quædam indoles humanam hic superaverit conditionem, an vero illa eo procederet audacia, ut principis sui flagitia fatali ad posteros signare auderet calamo? Non fiet illud, postquam nec sentire quæ velis, nec quæ sentias dicere licet, & sceptra timere didicit veritas: Ad nostra potissimum respicio tempora, dum hæc dico; ad antiquitatem, enim quod attinet, aliter sentiendum est; apud eos enim non majestatem veritas, sed veritatem majestas metuebat, & laudem merebatur, prout quisq; incorrupta fide &

cum

DE HISTORIA ORATIO.

cum cura posteritatis quam verissime divi-
num aliquod condidisset monumentum.
Hinc tot præclara ingenia, qui adhibita omni
diligentia arteq; historici cælestia turpiaq;
facta, læta tædave exitu cum pompa & or-
natu nobis transcriperunt, & censorem ca-
lamum in ipsa Reipubl. immiserunt viscera:
Hinc immortalia illa monumenta, quibus
suam aliorumq; famam superis miscuerunt.
effeceruntq; ut nihil prouersus ex antiquitate
latereret posteros. Vigent enim florentq; ista
omnia, quæ vel naturæ extinxit conditio,
vel fortunæ perierunt atrocitate; Vigent illa,
& in omnem temporum perennabunt æter-
nitatem. Hæc est illa cælestis historiæ mira-
vis & efficacia, quæ nomen nostrum mori
non sinit! hæc est, quæ, quod pulcherrimum
in vita, laudes nostras ad seros trasmittit ne-
potes, & immortalem famam nostram in-
nunquam interitaram durare jubet memo-
riam. Quæ consummata & incomparanda
felicitas, si ad nostra quoq; descenderet tem-
pora, esset de quo nobis gratularemur, quan-
quam forte optare illa potius liceat quam
sperare, postquam ut plurimum suo expulsa
regno est veritas, & inter virtutes
haberi cœpit, adulatio,



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730153010/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153010/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730153010/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153010/phys_0024)

DFG

ORATIO

accommmodatissima; Neq; a-
res jucundius quicquam, c-
quadam elegantia splendes-
dulcissimos illos in nos excite
non ingrata quadam satietate
miro ardore & insatiabili cu-
legentem, & non nisi ægre ac-
tat. Hæc est illa interior ac-
eloquentiæ efficacia de qua
spiritus ille indefessus, indo-
quem desideramus: hæc est si-
quaæ nos totos occupat, & cu-
in gratissimam mittit servitu-
et omnes exuamus affectu
quaævis obfirmemus animum
excitat mutationes, ut modi
amemus, modo infestissimo
odio, jam lætissimæ spei simi-
prolixo timoris, idq; quod re-
re, quaæ vel nihil ad nos: Ita
vidisse nos sæpius arbitramur
quam vidimus, audivisse que-
bis absunt, ijs interfuisse re-
tis ante nos gesta sunt secu-
jungit Historia tam tempo-



es au-
tida-
, quaæ
, quaæ
, sed
eneat
imit-
edam
: Hic
ictus
avis,
beri,
c, li-
ersus
nos
lime
murmur
janu-
, in-
mus,
nun-
no-
mul-
con-
ani-
mos,